



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

stupor oppreſſerat, ut mihi, ad extremum vitæ caſum adducto, nemo auderet in memoriam reducere, ut expiarem animum pœnitentia, meq; precioſiſſimi corporis tui viatico ad tam periculofum iter ornarem! At innocens ab iis, quamvis falſo, exiſtimabar. Concedo. at illud etiam venire hominibus peritis debebat in mentem, quod nemo mundus eſt à ſorde, ne infans quidem, cujus unius diei vita eſt ſuper terram. Quid tum merebar miſer, niſi ut eo ruere ſineres, quo me præcipitem dabam; videlicet in profundum barathri, in miſeriam ſempiternam?

C A P. XV.

TV vero, Deus miſericordiarum dominus, qui, cum maxime iratus fueris, miſericordiæ recordaris, non es paſſus, non ſiſtiſti; ſed, quoniam verberibus nihil profeciſſes, tentatiſti, num ad promerendam tibi voluntatem meam beneficia plus poſſent: ac ſtatim me in priſtinum bonæ valetudinis locum revocaſti. Neque res aliter cecidit. nam periculi, quod evaſeram, magnitudinem in ocio reputans, plane vehementer exhorruï; neque ita multo poſt nactus ſacerdotem ex animi mei ſententia, dixi: Confitebor adverſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

C A P. XVI.

REvocatus igitur in curſum, dabam operam, quantum infirmitas mea patiebatur, ut neque declinarem ad dexteram, neque ad ſiniſtram; &, ſi quando, vel ætatis fervore,
vel